Digitized by Google

DE

ORDINE FIBRARUM MUSCULARIUM CORDIS.

DISSERTATIO IX.

DE

ACTIONE FIBRARUM MEDIARUM VENTRICULI DEXTRI.

Auctore

C. F. WOLFF.

Convent. exhib. die 26 *Junii* 1788.

Actio fibrarum angularium, ventralium, et quae apicis regionem occupant.

Fibris mediis ventriculi dextri, earumque directione, in superiori dissertatione anatomica expositis, facile est, actionem earum, usumque, et quibus singulae fasciae partibus sint destinatae, cognoscere. In universum medias fibras dextri ventriculi, siquidem ad totum corpus cordis comparantur, oblique adscendere in superioribus patuit, cum externae oblique descenderent potius. Et maxime iste adscensus quidem in tota angulari et ventrali parte ventriculi *a*) observabatur, ubi parallelae margini basilari fibrae recta arteriam versus pulmonalem, eademque prorsus, qua haec ex corde egreditur, directione ferebantur. Minus

a) Tab. VII. l. m. n. v. x. z. 2. p. y. 1. 4.

Digitized by Google